

Simon Toelmann Christoph Pauli

Disputatio Iuridica De Quaestionibus Et Torturis Reorum

Rostochii: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730914402>

Druck Freier  Zugang




Preis

↓ Toelmann - Pauli - Vert.

jur. 1623.

10



13
29

Disputatio Juridica
DE
QUESTIONIBUS
ET TORTURIS
REORUM.

Quam

Auspice Christo
Duce Justitia
Comite Veritate

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi Clarissimi atq; Consultissimi,


DN. SIMONIS TOELEMANNI
Pom. Jcti Eminentissimi, & Antecessoris
in Academiâ Rostochianâ celeberrimi, Præceptoris ac
Patroni atatem observandi,

Publicæ censuræ subijcio

CHRISTOPHORUS PAULI

Grimmî Pomeranus.

*In Collegio Majori horis matutinis
ad d. Aprilis.*



ROSTOCHII

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIII.

1623



V I R O

*Admodum Reverendo, Magnifico, Nobilissimo,
ac maxime strenuo,*


DN. ALBERTO à Wafemis/
Episcopatus Camminensis Cantori, Consi-
liariorum Provincialium Citerioris Pome-
raniae Primati, Hereditario in Klevenow/ etc.

Domino, Patrono, ac Promotori meo
summâ animi observantiâ
suspiciendo.

*Disputationem hanc, Quaecumque obser-
vantia debita testimonium publicum,
in templo Mnemosynes statuo,*

Christophorus Pauli
Auctor & Resp.





DISPUTATIO

De

QUÆSTIONIBUS ET
TORTURIS.

THESIS I.



Sciens antiquitas, legis condendæ perita; ne crimina, quæ ut plurimum semotis arbitris perpetrantur, atq; ita detectu difficilia sunt, manerent impunita, de causis & medijs accommodis, quibus eadem innotescerent, sollicitè cogitavit; & tandem bono publico rationem adinvenit ingenio plenam, Quæstionem puta & Torturam, Lydios quasi lapides; quæis admitta, quæ aliunde probari non poterant, explorabat, *h. t. 8. 9. ff. h. t. Iul. Paul. lib. 5. recept. sentent. tit. 14. & 16.*

II.

Verbi Quæstionis, usus multiplex in Juris nostri libris est inventu. Aut enim denotat controversiam, deq; jure vel facto dubitationem *l. 115. de V. S. l. 2. ff. de his que in testam. delent. l. 24. ff. de acquir. vel omit. hered. l. 16. in fin. ff. de stat. hom. l. 19. §. 1. ff. de iudic;* aut Judicium publicum: *l. 2. §. 32. ff. de Orig. iur.* ubi legimus, à Sylla Dictatore constitutas quæstiones publicas, de falsis, parricidijs, sicarijs; aut interrogationem reorum; de crimine admissio, quæ fit per tormenta corporis. *l. 2; §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 15. §. 41. ff. de Injur. t. 2. ff. & C. h.* Atque hoc sensu posteriori heic loci eam accipimus; ab eiq; Torturam, quæ est tantum actus torquendi, & cruciandi reum, discriminamus; cum quæstio sit interrogatio rei, & ipsa Tortura, *l. 15. §. 41. ff. de Injur. Bocer. in tract. de quæst. & tort. c. 1. n. 12.*

III.

Definitur Quæstio, quod sit interrogatio de crimine com-

A 2

missio,

missio, (interdum etiam de causa pecuniaria dubia) per corporis tormenta, ad eruendam ipsius criminis, siue causae veritatem, legitimè à Iudice instituta. *l. 1. §. 21. & seq. ff. h. l. i. §. 24. ff. de Sc. Silan. l. 9. ff. h. l. 15. §. 41. ff. de Injur. l. 1. pr. l. 8. pr. h. Bocet. d. c. 1. n. 3.* Alij aliter definiunt, ut videre est apud *Azonem in summ. tit. de quaestionib. Franse. Brus. in tract. de Indic. & tort. p. 2. q. 1. n. 2. Duar. ad h. t. c. 1. Cujac. in par. C. h. n. 2.*

IV.

Causi remota Quaestionis est, defectus probationum: *l. 12. C. h. Quod si veritas objecti criminis leuiori, & veriori via inueniri, alijsq; probationibus illuminari possit, ad eam non perueniendum. l. 8. pr. l. 9. pr. h. Carol. Constit. art. 69. Iul. Clar. §. fin. q. 64. vers. Debet etiam Iudex. Arnold. de Reyger in Thesaur. Iur. voc. Tortur. n. 7.* Liquidato enim negotio, & rei veritate cognitâ, tortura, quae est instrumentum inquirendae veritatis, *l. 22. vers. ante omnia C. de administr. tut. vel Curat. cessat. Föller. in pract. Criminal. Dialogic. p. 1. secunda parte. §. Rei Indurati torqueantur n. 3.*

V.

Cum autem exemplo sit valdè perniciosum, torquere aliquem, nisi ipsum crimen detectum fuerit; ut patet ex memorabili exemplo, quod legitur apud *Valer. Maxim. lib. 8. c. 4. de Marci Agrij argentarij seruo, temerè & injustè ad torturam abrepto, alijsq; recentioribus, quae allegat Gödelman. in tract. de Mag. Venef. & Lamys, lib. 3. c. 10. n. 7. & 8.* & hic non agatur de capite papaveris aliquo, aut bulbo alij, sed hominis vita, ac salute, in primis exploratissimum esse debet, delictum fuisse commissum, *l. 1. §. 24. ubi gl. in verb. locus sit ff. de Sc. Silan. l. 1. C. ubi caus. fiscal. l. 23. §. ult. l. 24. 25. ff. ad L. Aquil. CC. art. 6. cum illud ipsum sit veluti poenae quaedam preparatio. l. 131. de V. S.* Et sanè tortura fieri debet, non ad facti, id est, criminis liquidationem, sed ad liquidationem personae, h. e. ut disquiratur, an accusatus reus, crimen illud, de quo jam constat, commiserit, nec ne? *Brun. in tract. de Indic. & tort. p. 2. q. 5. n. 10.* Ideoq; sunt manus Iudicis ligatae, donec de crimine constet, *Marsil. consil. 8. n. 1. vol. 1. Magnific. Du. Corbmannus consil. 12. n. 17. & seqq.*

VI.

Neq; etiam ex qualibet causa, decernenda quaestio; quippe quae

quæ corpus lacerat, & ipsa ferè morte durior est, Bald. in l. 19. C. de
transact. n. 6. hominemq; ad imaginem Dei conditum excarnificat,
Zang. tract. de quæst. & tort. c. 4. n. 11. quam ideò Ulp. in l. 1. §. 23. h.
rem fragilem & periculosam, quæq; veritatem fallat, vocat: sed
causa & accusatio criminalis, eaq; atrox & capitalis requiritur, cu-
jus pœna est deportatio, vel deportatione major, l. 4. l. 5. l. 6. §. ult.
l. 17. §. 1. h. Boc. d. tract. c. 2. n. 7.

VII.

Cùm ideòq; non in omnibus criminalibus causis, exerceri
quæstio hæc severior possit: l. 8. ff. h. multò minùs in Civilibus &
pecuniarijs causis, ratio æqualitatis admittet, ut corpori cruciatus
inferantur, ubi tantùm pecuniæ periculum est, Vvesemb. in par. h. n. 5.
Boc. c. 2. n. 19. quanquam olim, & in his, si aliter veritas inveniri non
potuit, de servis, l. 9. ff. h. l. 10. 13. 15. C. eod. Duar. ad h. t. c. 1. ut & cæ-
teris vilissimæ conditionis personis, quæstio sit habita. l. 21. §. 2. ff. de
testib. N. 9. c. 1. §. 1. ibiq; Grubofred. lit. B., cùm hæc, sicut servi, non ad-
mittantur ad testimonium, sine torтура, Sichard. ad l. 1. §. 1. C. de Iurei.
propter. calumn. dando.

VIII.

Causa Propinqua, sunt Indicia, Præsumptiones, suspicio-
nes, conjecturæ, de reo conceptæ, Redliche anzeigung / Redlich
warzeichen / argwohn / verdacht vnd vermutung / C. C. art. 18. quæ heic
paria sunt. art. 19. Sine his, ad tormenta neutiquam perveniendum.
art. 6. & 20. cum sint basis & fundamentum tormentorum. art. 57.
à quibus non esse statim incipiendum, Di. Augustus constituit.
l. 1. pr. l. 10. §. 3. 4. ff. h. l. 8. §. 1. C. eod.

IX.

Hocq; adeò verum est, ut si quis nullis legitimis indicijs præ-
vijs, ad tormenta abripiatur, & vi tormentorum fateatur crimen,
ea confessio ipsi præjudicare nequeat, nec ex eâ condemnari possit,
arg. l. 2. 3. 4. C. si ex fals. instrum. l. 21. ubi gl. ff. h. licet post torturam su-
perveniant sufficientia ad torturam habendam indicia. Quod
confirmatur C. C. art. 20. ubi dicitur, wo nicht zuvor redliche anzeigung
& c. Hippol. de Marsilijs Consil. 12. n. 23. Consil. 14. n. 4. consil. 18. n. 29. con-
sil. 22. n. 8. consil. 64. n. 51. 52. & ad l. 21. ff. h. n. 16. ubi testatur se per
rectum illius legis, à mortis pœnâ, liberasse diversis temporibus,

tres homines Bononiæ, qui nullis præcedentibus indicijs, tormentis adhibitis interrogati fuerant, perseverantes in suâ confessione, etiam post repertis indicijs.

X.

Indicia verò Probabilia, Vero-similia, veluti certa, quæ plerumque verum arguunt, & à Logicis *évidens* appellantur, ad torturam exercendam sufficiunt, *arg. l. 8. §. 1. C. b.* Et horum aliquot Carol. V. *art. 29. 30. 31. 32.* recenset. Certa & indubitata quod attinet, ea probant in tantum, ut sola ad condemnationem sufficiant. *l. 19. C. de rei vindic. l. ult. C. de probat. l. 34. C. ad L. lul. de adulte* Cum igitur causa finalis torturæ, indagatio scilicet veritatis cesset, & ipsa sibi locum vindicare haut poterit, præsertim quia Judex certior factus, non debet amplius certiorari. *Cason. de torment. c. 21. n. 9. Bocov. d. 6. 3. n. 20. Hann. ad Treutl. vol. post. disp. 31. §. 5. lit. E. q. 39.*

XI.

Hujuscemodi Indiciorum tormenta præparantium duo sunt genera. Quædam sunt Generalia, omnibusque delictis communia; quædam Specialia, & certorum malefactorum propria, *C. C. art. 25. 33.* Ex illis rursus alia sunt, quorum quodque per se solum sufficit ad torturam, alia non nisi alijs concurrentibus sufficiunt, *Clar. §. fin. q. 30. Zang. d. tract. c. 2. n. 15.*

XII.

COMMUNIA sunt: 1. Si res in loco delicti perperrati reperitur, eamque rem, paulò ante crimen designatum, suspectus habuisse demonstrari possit, *C. C. art. 29.* nisi reus æquè certis, aut etiam liquidioribus rerum argumentis, aut testimonijs innocentiam suam ostendere, & contra se militantem præsumptionem, fortiori præsumptione elidere, ac enervare valeat. *d. art. 29.*

XIII.

2. Semiplena probatio, quæ fit per unum testem omni exceptione majorem, qualis *art. 66.* describitur, qui juratus de eo, quod in causa caput est, h. e. principali negotio, & non de auditu, vel actu aliquo crimini proximo, sed de ipso visu criminis perfecti deponit. *art. 23. & 30. gl. in l. 20. h. gl. in l. 3. verb. convictus C. ad L. lul. Majest. Arnold. de Keyger in thesaur. Jur. voc. Tortura n. 20.*

Confessio

XIV.

Confessio rei propria, non risus, joci, dicivé causa, sed ut audacis opinionem venetur, de crimine cujus insimulatur, aut insimulari possit, ultrò, ac nemine cogente, extra judicium facta; si tamen specialis, & non generalis sit, duobusq; testibus probata fuerit, *art. 32.* ubi imp. non solum respicit confessionem alicujus, sed præter eam, desiderat aliud etiam indicium, in conditione scilicet personæ, de crimine ejusmodi suspectæ positum.

XV.

4. Fama, si aliæ conjecturæ eam aggravent. *l. 3. §. 2. ibi, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidei ff. de testib. CC. art. 25. §. Erslich/* ubi duo conjunctim, ut fama pro prægnanti indicia habeatur, requiruntur: 1. Ut delatus sit infimæ sortis homo, qui à delicto, cujus insimulatur, non abhorrere videatur. 2. Ut fama, non à nihili hominibus, invidis & inimicis suspecti rei, sit disseminata, sed à viris bonis, & indubitatæ fidei, à quibus nihil temerè confingi appareat. *Zang. d. tract. c. 2. n. 83.* ubi scribit, hoc verum esse, nisi crimen tale sit, ut fama non possit originem trahere, nisi à confortibus, turpibus personis; puta, si agatur de maleficio in lupanari commisso, & similibus delictis: verum ab eo, divortium facit, *Boer. d. tract. c. 3. n. 28. & seqq.*

XVI.

5. Minæ; si duo concurrant: 1. Ut non longò temporis spatio interjectò crimen sit designatum: 2. Ut persona, quæ jactavit minas, aliàs talis sit, ut de eà malè suspicemur, *art. 25. §. zum fünfften/ art. 27. 32.*

XVII.

6. Nominatio sociorum & complicum: (*de quibus Gothof. in N. 134. c. 9.*) dummodò circumstantiæ, quæ ponuntur in *art. 31.* adsint. Namq; hominis scelerati, criminis convicti, etiam morientis testimonio Judex moveri nihil debet, ut ex eò solò, torturæ submittat eos, quos tortus criminis socios dixit; eùm morientis ultimam elogium fidem in alterius damnum non promereatur. *arg. l. 3. §. 1. de sc. plan. & qui desperavit de suâ salute, aliorum quoq; salutem in periculum voluisse deferre præsumatur, Zang. c. 2. n. 47. & mult. seqq.*

7. Fuga,

XVIII.

7. Fuga, si fugiens, alijs indicijs coadjuvantibus gravetur
CC. art. 25. §. ult. art. 27. & facit l. 17. §. 3. l. 58. §. ult. ff. de edilis. Edict.
 fugaq; ante Judicis inquisitionem, vel accusationem arrepta sit,
Mynsing. cent. 6. Obs. 98. licet & eò casu putet Gail. 2. Obs. 109. n. 8. & 9.
 solam fugam non facere indicium, si modò subsit justus timor, vel
 suspicio vehemens futuræ accusationis, vel inquisitionis, *arg. l. 1. ff.*
de bon. Eor. qui ant. sent. mort. sibi consciv.

XIX.

8. Inconstantia & Variatio sermonis, si reus de veritate facti
 interrogatus à Judice, responsum subinde ita mutet, ut mendacium
 ejus inde facile deprehendi possit, *arg. l. 20. §. 1. ff. de dol. mal. l. 15. pr.*
l. 18. §. 3. l. 10. & 5. ff. b. Boc. c. 3. n. 36.

XX.

9. Animi trepidatio, vultusq; mutatio, aliqualem præsum-
 ptionem gignunt: solæ verò ad infligendam torturam sunt insuffi-
 cientes; cum tremor in reo, cui jam totura impendet, non tam ma-
 læ conscientia argumentum, & signum aliquod sit, quàm effectus
 quidam præsentis metus tormentorum. Quod abundè patet ex
 exemplo, quod *Paris de Puteo in tract. de Syndicat. in verb. Tortura, elect. 1.*
vers. viso, refert, quendam inquisitum, innocentem tamen, dum du-
 ceretur ad locum, in quo erat equuleus, præ timore lotium reddi-
 disse, & excrementa alvi dejecisse. *Zang. c. 2. n. 101. 102.* Itaq; ne in-
 nocentes subijciantur fideiularum pœnis, conspirans Dd. suffraga-
 tio est, quod alia adminicula concurrere debeant, *Clar. §. fin. q. 21. vers.*
cæterum, ibidemq; allegati, Boc. c. 3. n. 37.

XXI.

10. Inimicitia Capitales, quæ vel ex lite mota super magna
 facultatum substantiâ, vel ex spe hereditatis, dignitatis, muneris,
 successione, vel alterius commodi, præsumi possunt: *C. C. art. 37.*
pr. alijs circumstantijs adminiculantibus, ut sunt fama, minæ, & id
genus aliæ art. 26. 27. Cæteroquin non sequitur; Petrus inimicus est,
 E. occidit; quia alius eadem perpetrare potuit, etiamsi, qui de ea
 suspectus est, capitalis fuerit inimicus illius, qui occisus dicitur,
Cason. tract. 2. de Indic. c. 4. n. 4. Menoch. lib. 1. de Presumpt. q. 89. n. 50.
Mascard.

Mascard. de Probat. vol. 2. conclus. 901. n. 6. 7. 8. 9. ubi tria memorabilia exempla adfert. hujus se socium adjungit Fachin 9. controvers. 82.

XXII.

11. Frequentatio loci, ubi crimen commissum: *art. 25. §. 2. & 3. art. 27. 12.* Conversatio malorum, quibus juxta Senec. in *Medea*, nullum ad nocendum tempus angustum est: *art. 25. vers. zum vierdten arg. l. 25. §. 4. ff. de edil. Edict. l. 3. §. 3. ff. de administr. & peric. tut. 13.* Ultronea postulatio ejus, cujus nihil interest, ut cum maleficium patratum sit, de auctore inquiratur; *Zang. c. 2. n. 128. & seqq. 14.* Receptatio criminorum; *art. 40. 15.* Abductio suspecti, ne deprehendatur, quam Dd. Associationem vocant, *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 89. n. 109.* Hæc verò indicia per se satis firma non sunt, nisi plura simul argumenta coacervata, delatum in criminis suspicionem indubiam vocaverint. *art. 27.*

XXIII.

Sunt & plura alia Indicia Communia, quæ omnia recensere immensi foret laboris. In illorum consortium verò nonnulli male recipiant Malam Physiognomiam: *Cason. tract. de Indic. l. c. 6. Chirromantiam; Cason. d. l. Turpe nomen Ludovic. Carer. in pract. Crim. tract. de Indic. & tort. indic. 29. n. 2. & 3. Nationem infamatam: per l. 32. §. 21. ff. de edil. Edict. Malamq; progeniem, Cason. de Indic. tract. l. c. 5. n. 1.* Nam valde remota, & levia sunt, & ad arguendum verosimiliter speciale aliquod crimen, de quo quæritur, ut ad torturam ex eo devenire Judex possit, planè insufficientia.

XXIV.

Sequuntur jam Indicia singulis delictis Peculiariora. Homicidij quæstionem instruunt sequentia Indicia: 1. Si suspectus, tempore commissæ cædis, vestibus armisve cruentis visus fuerit. *art. 33. pr. art. 25. §. 3.* 2. Si ejus gladius, in loco delicti, aut propinquo, sanguine madefactus reperiatur: *arg. art. 29. Menoch. lib. 1. de Præsumpt. q. 89. n. 135.* 3. Si reus ex interemptis rebus, bonisve, quid acceperit, asportaverit, vendiderit donaverit, &c. *d. art. 33.* 4. Homicidiò in rixa commissò contra illum præsumptio erit, qui rixæ auctor fuit, ferrum è vagina eductum strinxit, punctim cæsum percussit, & plenis ictibus in interfectum investus esse convincitur. *art. 34. Guil. 2. Obf. 109. n. 3. Menoch. de A. l. Q. lib. 2. cas. 362. Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 72. n. 6. & seqq.*

B

Sed

Sed quaritur, an ejusmodi etiam Indicium sit, si largus cruor, ex cadavere occisi, eò, de quo suspicio est, accedente, profluxerit? *Affirmant Paris de Puteo, in tract. Syndic. in verb. Tortura s. 3. n. 29. vers. si occisus exhibeatur, Boer. decis. 166. n. 1. Menoch. lib. 2. de A. I. Q. cas. 270. n. 16. & seq. ac lib. 1. de Præsumpt. q. 89. n. 128. Chilian. König, in pract. & process. Judicial. rubric. von den scharffen fragen / n. 12. & plures alij, quibus novissimè calculum suam addit Berlich. 4. part. conclus. practicab. conclus. 11. n. 74. Verum valdè lubricum ac leve, imò incertissimum, & ex causis nobis incognitis, ac prorsus remotis procedens indicium, hoc, judicant cordatiores Icti. Licet enim non desint viris doctis rationes, quibus rem tantam confirmare ex naturâ nitantur, *Libau. in libr. singul. de Cruentat.* tamen ipsæ adhuc in naturâ, & cum veritate ipsâ, in Democriti puteo abditæ jacent; unde periculosum foret Judici, si ad judicij necessitatem eas transferre vellet. Rectè igitur *Cason. tract. de Indic. in præmiss. c. 3.* ait, cum talis effusio sanguinis oriatur ex causis ignotis, quæ non sùnt trahendæ in consequentiam, nullum quoq; indicium exinde necessariò sumi oportere; cum ex diversis accidentibus proveniat. Et contentus sit Judex, judicare secundùm prudentiam, quæ cadit in hominem, relinquendo cætera judicio divino. *Heig. p. 2. q. 39. n. 96. usq. ad n. 120. Zang. c. 2. n. 160. Boc. c. 3. n. 21. Arum. Exercit. Justin. ult. §. 19.**

XXVI.

Infanticidium arguunt: 1. Si fœminæ suspectæ uterus visus fuerit intumescere successivè, subitòq; resederit; modò & honestæ obstetrices, & matronæ peritæ, tactâ inspectâq; muliere referant, & attestentur juratò, illam non modò virginem non esse, sed etiam perperisse, evâve aliàs suspecta sit. *art. 35. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1147. n. 16.* 2. Si ea mulier, quæ mater trucidati infantis præsumitur, lac suis in mammis habeat, quod judicio peritarum fœminarum, integrum & perfectum sit. *art. 36. Alberic. Gentil. in tract. de nupt. lib. 7. c. 9. ubi de probatione virginitatis.* 3. Si fœmina fœtum vivum clàm, nullâ obstetrice accersitâ, pepererit atq; absconderit, qui postea exanimis inveniatur, & aliqua signa necis in infantis corpusculo appareant. *art. 131. §. 1.*

Vene.

XXVII.

Veneficij indicium est, si accusatus, vel inquisitus, venenum emerit, aut præparaverit, eiq; qui venenò extinctus dicitur, inimicus fuerit, aut futurus successor Universalis, vel singularis, nisi docere possit, se venenò aliam ob causam probabilem; & non prohibitam, usum fuisse. *art. 37.*

XXVIII.

In Maleficij, Incantamenti, ac sortilegij crimine, hæc ut plurimum sese prodere solent indicia: 1. Si quis infelices Magicorum artes profiteatur, aut alios magicis carminibus se fascinatorum minetur. & paulò post ei, cui minatus est, infaustum quid obveniat: *art. 44.* 2. Si suspectis utatur verbis, quæ incantamentum designare solent: *d. artic. 44.* 3. Si penes magum, venena mala, sortilegia, magicæ superstitiones, instrumentum mutæ obligationis inter ipsum & diabolum contractæ, olla plena unguentis variarum rerum magicarum, libriq; magici inveniantur, isq; bufonibus, hostijs, membris humanis, imaginibus cæcis, quæ acubus transfixæ, sunt, fiet instructus. *Bodin, de Mag. Dæmonomania lib. 4. c. 2. Zang. c. 2. n. 193. & seqq.*

XXIX.

Quid verò, si quædam Venefica tormentis interrogata, prodatur alias sagas, nunquid isthæc confessio verisimile indicium est, de alijs socijs, ut illæ capi ac torqueri possint, maximè si confessioni suæ & illa addat argumenta, quod unà diabolicis ludis & choræis interfuerint, rem Veneream cum dæmone habuerint, tempestates moverint, pluvias, tonitrua, grandines, pruina produxerint, sterilitatem effecerint? &c. Alij asserunt: *Petrus Binsfeld tract. de confess. Malefic. memb. 2. quest. princip. conclus. 3. 4. 5. 6. & 7. Zang. c. 2. n. 194.* alij negant, quorum sententiam æquiorē ac veriorē putamus. Nam prædicta illa argumenta, quæ sagæ ad verificandam confessionem suam adjicere solent, stulta, impossibilia, fallacissima sunt, cujusmodi assertionem pro mero phantasmate, & illusionē Diabolica Aquinense, vel ut alij libri habent Aquilense concilium habet, & ex verbo Dei condemnat, *c. Episcopi, vers. illud etiam 26. q. 5.* Quapropter nisi aliæ probationes legitimæ & à jure approbatæ haberi possunt, iniquum sanè & periculosum est,

dubijs & mendacibus testimonijs inherere. Et hæc, ut in crimine veneficij, cautè observemus, experientiâ cottidianâ sat monemus, Videmus enim, quod veneficæ, vel ex torturæ doloribus & cruciatibus, vel ut se à crimine eximant, honestissimas quasq; Matronas pro veneficis exclament, & eo ipso nominatas personas ignominiam perpetuam afficiant, quibus incommoditatibus fraudibus & injurijs facilè obviari potest; si non torqueantur, nisi illæ, contra quas urgentissima indicia habentur, & tum tortura fiat cum moderamine, præsentibus ijs, qui omnem humanitatem non exuerunt. Sunt verba *Celeberr. Dni. Cothmanni, consil. 12. n. 263. & seqq. cui consonant Godelman. de mag. & venef. lib. 3. c. 9. n. 1. 2. 9. & seqq. Fichard. consil. 108. vers. das aber in gegenwertigen falle.*

XXX.

Ejusdem fortis indicium est, purgatio Lamiarum per aquam frigidam, ubi eæ manibus pedibusq; colligatis, vel pollice manus dextræ magno digito sinistri pedis, & pollice manus sinistrae digito magno pedis dextri, transversè astrictis, aquæ leniter imponuntur, & si maleficij reæ sint, nunquam submergere, sed supernatare creduntur. Nullum enim fundamentum hæc lotio vel in divino, vel in humano jure, aut Philosophia habet, ut ab omnibus Rebus publ. meritò sit exterminanda, & iudices jubendi, ut legitimo processu in criminalibus servato, hæc etiam casu merita partium utrinq; audiant. *Vult. ad §. 5. I. de publ. Judic. n. 8. Conradus ab Anten, in sua γουαιχάλασι tt. 9. cc. Godelman. de mag. & venef. lib. 3. c. 5. ubi n. 35. memorabile exemplum, quod ipsemet in Livonia, Anno 1588. vidit, adfert, hancq; sententiam omnes facultates Juridicas in Academijs Germania approbasse, n. 27. restatur. Heig. p. 2. q. 39. n. 8. & seqq. Wier. in tract. de prestig. Dæm. lib. 6. c. 7. Delrio Magic. disquisit. tom. 2. lib. 4. c. 4. q. 4. sect. 4. Benst. ad rubric. ff. de Jurer. n. 204. Venatorius in analysi Juris pontificij, lib. 5. t. 35. Boc. c. 3. num. 101.*

XXXI.

Latrocinium, Rapina, Furtum, idoneè probantur: 1. Si res rapta aut furto ablata penes quem reperitur, qui auctorem suum laudare nolit, aut non possit, *art. 38. art. 48. arg. l. 5. C. de furt. quod maximè verum est, si is mala fama sit, & aliàs Jud. ci. suspectus, Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 833. n. 4. Zang. c. 2. n. 176. & seqq.*

Et seqq. 2. Si quis pedes, equetve, in diverforijs aut cauponis com-
moretur, nec tamen habeat tantum in bonis, ut hos sumptus ferre
possit. Hunc enim ex rapto victitare, pragnans præsumptio erit.
art. 39. Zang. c. 2. n. 179. 3. Si furtum, adhibitis clavibus adulteri-
nis, alijsq; effractorijs instrumentis, sit commissum, & aput aliquem
reperiantur talia instrumenta, isq; ejus sit conditionis homo, ut
malè de ipso aliàs etiam, maximè quoad furtum, præsumat.
art. 43. §. 1. 4. Si quis post furtum rei pretiosæ, locuples invenia-
tur, qui antehac tenuis fuit vitæ, & pauper, liberiùs licentiosiusq;
pecunias profundat, neq; tam subiti rei familiaris incrementi justas
causas edere possit, siq; talis, qui à facinore alienior non censea-
tur. *art. 43. §. 2.* Quod inprimis procedere autumat *Zang. cum*
alijs, quos allegat c. 2. n. 180. si ejusdem forma expendantur nummi,
cujus fuerant subtracti. 5. Si quis sciens fures ac prædones receperit,
vel prædam participaverit, aut opem, consilium, eis præstiterit,
art. 40.

XXXII.

Adulterij, & stupri, Indicia varia à Dd. enumerantur, de qui-
bus *Menoch. lib. 5. Præsumpt. q. 41. Mascard. de probat. vol. 1. concl.*
59. Et seqq. videri possunt.

XXXIII.

Incendij immissi indicia peculiariora sunt: 1. Si qui tanti faci-
noris audax creditur, paulò ante incendium, suspecto & abscondito
modo pyrobolos, lampades ignitas, vel alia fomenta facilè succen-
dentia præparaverit, qui alioqui etiam turpis sit conditionis homo,
nec probabilem ac licitum eorum usum demonstrare possit. *art. 41.*
2. Si minæ præcesserint, sive verbis, sive literis diffidatorijs, durch
absagungs Brieffe / factæ sint *Zang. c. 2. n. 190.*

XXXIV.

Proditionis Indicium est, si delatus, clandestinas & insolitas,
congressiones, & collusiones cum inimicis, à quibus tamen se
alienum simulat, habuisse comperiatur. *art. 42.*

XXXV.

Falsæ monetæ evidens indicium est, si talis moneta, nummi
adulterini, ex nova impressione adhuc asperi, & nondum ex tracta-
tione assiduâ levigati, stampæ Monetarum *Hippolit. de Marsil. in*

l. 19. n. 113. ff. ad l. Cornel. de fals. aut instrumenta, ad eudendam monetam apta, inveniuntur apud aliquem, isq; ejus conditionis sit, ut de hoc crimine maximè suspectus habeatur arg. art. 43. §. 1. Tyber. Decian. tract. Crim. lib. 7. c. 26. n. 8. Mascard. vol. 2. de probat. conclus. 1069. n. 9. & 10. Boc. c. 3. n. 118.

XXXVI.

Enimverò Indiciorum, tam communium, quam peculiarium, admodum perplexa & difficilis varietas est, ut potius prudentis Judicis arbitrato relinquenda sint, quam enucleatim enarrari possint. *art. 18. 24. arg. l. 3. §. 2. ff. de testib. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 89. n. 1.*

XXXVII.

Præmissis causis, ob quas quæstio infligi possit, vel non, ordinis ratio monet, ut de Quæstionum objecto, h. e. personis, in quas quæstio adhiberi possit, vel non, disquiramus. *arg. l. 8. pr. ff. h. l. 5. C. eod. Lustrabimus autem primò personas, quæ exortes sunt harum pænarum, quas fideiculæ & tormenta constituunt; ita enim, facile intelligemus cæteras personas, quas tormentorum cruciatus subdit, jura patiuntur, arg. pr. I. de Tutel.*

XXXVIII.

Ob defectum maturi ac pleni intellectus, adversus asperitatem quæstionis securi sunt: 1. Impuberes, *l. 10. pr. ibiq; Gothofred. l. 15. §. 1. ff. h. l. 1. §. 33. ff. de SC. Silan.* Terreri tamen, vel aliquo tormentorum genere leniori, ut ferulæ, habenæ cæssione, ad veritatem dicendam adigi possunt, *arg. d. l. 1. §. 33. ff. de SC. Silan. Johan. de Arnono, sing. 99.* 2. Furiosi: *l. 3. §. 11. ff. de SC. Silan.* Quid si ante furorem crimen commiserunt, an furore correpti tormentis de eò interrogari possint, non inelegantis est quæstionis? *Neg. Bocerus c. 4. n. 10.* quia omni intellectu carent furiosi: *l. 14. ff. de Offic. Præsid.* ut percipere non possint finem quæstionis, 3. Surdus & mutus naturæ, *arg. l. 10. C. qui testam. fac. poss.* quia nulla ab eò confessio exprimi potest; Quod si per accidens talis factus, literasq; sciat, vero similibus indicijs convictus, per tormenta interrogari potest, modò scriptis interrogetur, & scriptis respondere jubeatur. Si autem infortunium discretum est, & literas sciunt, tum torqueri possunt. Nam Mutus literarum gnarus, voce interro-

gari &

gari & scripto respondere; & surdus literas sciens, scripto interro-
gari, & voce respondere potest. *d. l. 10. l. 3. §. 10. ff. de SC. Silan.*
Zang. c. 1. n. 44. & seqq.

XXXIX

Ob imbecillitatem virium ignoscitur: 1. Senibus decrepi-
tis, ac ætate defectis; ut loqui amat *Ulp. in l. 3. §. 7. ff. de SC. Silan.*
Cason. de torm. c. 10. n. 12. Qui autem dicantur ætate defecti, arbi-
trio Judicis discutendum relinquitur, *Menoch. lib. 2. de A. J. Q.*
cent. 1. cas. 59. n. 3. quod arbitrium in eò maximè versatur, ut cum
senibus, propter imbecillitatem corporis ignoscatur, Judex non
tam ætatem, & numerum annorum, quàm senum infirmitatem, &
habitum corporis inspiciat, *Emeric. à Rosbach. in process. criminal.*
tit. 5. c. 13. n. 12. Sunt enim, qui post sexagesimum, adeòq; septua-
gesimum annum, ferre tormenta facilius possint, quàm alij qua-
dragenarij, vel quinquagenarij, *A. F. C. Fabrian. lib. 9. t. 21. defi-*
nit. 24. Eo tamen casu, quò torqueri non possunt senes, ad inveti-
gandam veritatem, terreri eos, nihil prohibet, *Fab. d. l. Clar. §.*
fn. q. 64. vers. Non etiam debet Judex. 2. Valetudinarij, si tali mor-
bò laborent, ut torturam sine vita periculo pati nequeant. *arg. l. 7.*
ff. b. l. 3. pr. ff. de SC. Silan. arg. art. 59. Cason. d. tract. c. 10. n. 8.

XL

Ob ventrem, immunis est Prægnans: *l. 3. ff. de pen. Cujac.*
ad Jul. Paul. recept. sent. lib. 1. c. 12. §. prægnantes, ut tatus serve-
tur salvus & illæsus *l. 8. de stat. hom.* nec spes animantis perimatur.
l. 2. ff. de mort. inferend. neq; innocens, propter nocentem, patia-
tur cladem, *Harprecht. ad §. 5. I. de publ. Judic. n. 188.* atq; hæc
procedant, etiamsi novissimè conceperit *Boc. c. 4. n. 26.* vel in ipsâ
custodiâ, ipsòq; carcere prægnans facta sit, *Gorbhof. ad. d. l. 3. de*
pen. nec refert vulgò conceperit famina, vel ex marito suo. *Darn-*
houd. in praxi Crim. c. 41. n. 7. 'mò ne quidem post partum, intra
40. dies, Puerpera torqueri potest *gl. in d. l. 3.* quia ante hos dies,
vires recuperasse non censetur, *Hippol. de Marsil. in l. 1. pr. col. 5. ff. b.*
& partus recens editus, ob nutrimenti & lactis materni corruptio-
nem, ac defectum, perire posset, *Boc. c. 4. n. 29.*

Diffi.

XL I.

Difficilis hic movetur controversia, anne prægnans territoria reali, quæ fit, quando reus ad locum torturæ per carnificem ducitur, & funibus alligatur, absq; elevatione tamen corporis, terreri possit? Quod negandum videtur, propter identitatem rationis, quæ est in tortura, & territione reali actui propinqua. Facile namque accidere potest; ut fæmina gravis, propter pavorem ex territione ista conceptum, abortum faciat, vel ex metu graviori, aliud periculum partui creëtur. *Harprecht. ad §. 5. I. de public. Judic. n. 189. usq; ad n. 195.*

XL II.

Ob dignitatem, & privilegia, fudicularum tormenta inferri nequeunt: 1. Clarissimis: *l. 10. C. de dignit.* 2. Eminentissimis & perfectissimis: *l. 11. C. h.* 3. Decurionibus: *l. 16. C. h. l. 33. C. de decurionib.* utcunq; honorem Decurionatus deposuerint: *l. 17. C. h.* 4. Militibus: *l. 8. C. h. l. 4. C. ad l. Jul. Majest.* quibus minime annumerandi ociosi isti erronei, & nebulones, qui in plateis & vijs passim spaciuntur, rusticorum anseres & gallinas furantur, atq; ita revera, sicut catulus in sylvis, militare dicuntur, *Bald. in l. 1. in fin. C. qui bon. cad. poss.* Hi enim non ferendi, *Reichs abscheid zu Außsburg de Anno 1555. S. Damit angeregte, Boc. de bello & duell. lib. 1. c. 28. n. 7.* 5. Nobilibus: *l. 8. pr. ff. h. l. 11. C. eod.* usq; adeo, ut Judex, qui nobilem torturæ subjecerit, capitaliter delinquere dicatur. *Bald. in l. 16. C. h. Dn. Matth. Steph. in tract. de Nobilitate, lib. 1. c. 6. n. 41.* 6. Doctoribus: *arg. l. 8. C. h. l. 14 C. de advoc. divers. Jud.* quia privilegij Militaribus, non propter imperitiam Juris, sed dignitatis, & publicæ utilitatis causa indultis gaudent, *Eberhard. in Top. in loco, à milite armata militia, ad milit. caest. milit. Wesemb. in par. ff. h. n. 10. Sichard. in rubr. C. de testam. milit. n. 5. Boc. de bello & duell. lib. 1. c. 18. n. 7. & tract. de quest. & tort. c. 4. n. 51 & seqq. Halbritter in Orat. de privileg. Dd. pag. mibi 326. & seqq. Dn. Matth. Steph. in d. tract. lib. 2. n. 37. & seqq.* Cæterum hisce privilegijis nimium fidendum non esse, monet *Colerus de Process. Executiv. p. 2. c. 3. n. 165. & Rebuff. assertit, ad const. regni Gallici, gl. 5. n. 115.* non obstante privilegio juris communis, in regno Franciæ moribus receptum esse, quod nemini, sive Comiti, sive Baroni, sive Dd. parcatur, sed æquè

æquè omnes torqueantur, cui consentit *Tholos. lib. 48. syntagm.*
r. 12. n. 29. ideoq; in Gallia etiam Advocatis singulariter fuit man-
datum, ne allegarent jura, de non torqueendis Nobilibus, & Dd.
Idem *Rebuff. ad auth. Habita in verb. Professoribus, C Ne filius pro*
patre. De Illustrissimis Venetis, & tota Italia, idem testatur *Cason.*
in tract. de torment. c. 10. n. 13. Talem verò consuetudinem, de jure
nihil valere, & ideo observandam non esse, scribit *Clarus in § fin q.*
64 versu, quæro an Dd. Petrus de Ravenn (quem magnis præmijs Bu-
gislaus X. Anno 1496. ex Italia, in Pomeraniam, secum adduxit, Jurisq;
Professione in Academia Gryphiswaldensi decoravit) sing. 823. Boc. c.
4 num. 78.

XLIII.

Etià verò excepta sunt tormentis corpora honoribus prædi-
torum, ijq; regulariter à strictiori inquisitione defenduntur; tamen
in nonnullis criminibus, ijsq; enormibus, militiæ, vel generis de-
fensione uti prohibentur. Talia sunt crimina læsæ majestatis, *l. 4.*
C ad L. Jul. Majest. l. 10. §. 1. ff. b. l. 16. C. eod. adulterij, l. 32. C. ad
L. Jul. de adult. falsi, l. 21. C. ad L. Corn. de fals. Maleficij, l. 7. C. de
Malef. & Mathem. & alia, de quibus Criminalistæ largiori manu
agunt.

XLIV.

Forma Quæstionis consistit, partim in illis, quæ tormenta
præcedunt, partim quæ in ipso actu torturæ observanda sunt, par-
tim quæ tormenta subsequuntur.

XLV.

Quæ tormenta præcedunt, ijsdem vel præparandis, vel evi-
tandis inferunt, de quibus in superioribus satis; si hæc addantur:
1. Judicem accusatori postulanti, si jam legitimis indicijs accusa-
tus oppressus, adhuc crimen pertinaciter negaverit, diem quæstio-
nis habendæ statuere debere *C. C. art. 45.* 2. Accusatum à Judice
ipsomet, duobusq; ad minimum Assessoribus & actuario præsentibus,
de spontaneâ confessione, & cruciatu eculei vitando, seriò
interpellandum: *art. 46 184.* 3. Accusatum, antequam eculeo subji-
ciatur, intentatum delictum constanter negantem, quærendum
esse, quâ ratione, de innocentia suâ, Judicem docere queat. *art. 47*
l. 18. §. 9. ff. b. l. 19. ff. de pen. ipsiq; copiam repertorum indiciorum

C

etiam

etiam non petenti dandam, *arg. l. 19. ff. de pen. Zang. c. 3. n. 4. & seqq.* hunc nempe in finem, ut si possit, ea elidat, aut legitimè reprober. *Clar. § fin. q. 49. 4.* Pari modo, accusatorem ad criminis probationem, reo nudè inficiante, admittendum. *art. 62 70. 186.* Ita tamen, ut accusationis suæ capita, quæ probare velit, consignata Judici, unà cum testium, quos audiri necessum erit, nominibus, & domicilijs insinuet. *art. 70.* Hi testes, non suo onere, sed partium impendio evocandi sunt. *art. 75.* ab ipsoq; Judice, cum duobus Assessoribus idoneis, adjuncto scriba, examinandi. *art. 71.* Sed quid, si quod tribunal homines examinandis testibus aptos non habuerit? *Vid. art. 72.* Auditis testibus, Judex, vel commissarij, attestacionibus publicandis, utriq; parti certam diem condicant, earundem exempla, seu copias descriptas largiantur, dictis testium contradicendi, cavè tuendi causa, tantumq; temporis concedant, quantum causæ magnitudo, & necessitas postulabit. *art. 73.* Neutri autem partium, post publicationem attestacionum, duabus ampliùs vicibus, fundamenta defensionis, probationisve, in medium asferre, causamq; deducere, integrum est, nisi causæ pondus tertium scriptum sine morâ ulteriori exhibendum concesserit. *art. 73. Sult. art. 74. §.* Reum indubitatâ probatione convictum, & adhuc delictum negantem, admonendum, se pro convicto haberi, ut vel hac ratione ad confessionem permoveatur; quod si nullatenus ejus confessio exprimi possit, sine tormentorum usu condemnandum. *art. 69. arg. l. 16. C. de pen. Clar. § fin. q. 66 pr.*

XLVI.

Circa ipsum torturæ actum, observandum, Judicem Assessoribus duobus cum actuariò præsentibus. *art. 47. S. ult.* eo ordine, qui ad investigationem veritatis commodissimus haberi poterit, omnes ex reo circumstantias, prout cujusq; maleficij naturæ id conveniens, è re visum fuerit, maturâ prudentiâ sigillatim exquirere: *art. 31. § 2. art. 48. 49. & seqq.* non autem si de testibus quæstio sumatur nominatim, an Lucius Titius crimen admiserit, sed quis id effecerit, aut particeps fuerit, generatim interrogare debere *l. 1. §. 21. ff. h. art. 31. §. 1. art. 56.*

XLVII.

De alijs delictis, de quibus non præcesserunt indicia, interrogari reus

gari reus non debet, nisi delicta ejusdem sint speciei, & ab eo, de quo iudicijs gravatus est, dependentiam seu connexitatem habeant, *Boe. c. 5. num. 5.*

XL VIII.

Si plures sunt correi ejusdem criminis à suspectissimo incipiendum & à quo facillimè posse verum sciri, Judex crediderit *l. 1. §. 2. ff. b.* item ab eo, qui timidior est, vel teneræ ætatis, *l. 18. pr. ff. b.* nam & ab his facilius veritas exprimitur *Duar. ad h. t. c. 4.* à filio, si cum patre: *arg. §. 7. l. de Noxal. act. l. 8. §. 3. ff. quod met. caus. Cason tract. de torment. c. 13. n. 4.* à muliere, ceu personâ debilissimâ, & cruciatui ferendo maximè impari; *arg. d. l. 18.* si cum marito particeps criminis deferatur *Damboud. in prax. rer. criminal. c. 37. n. 15. & 16. Zang. c. 4. n. 25. & seqq.* Item ab eo, qui turpe nomen habet ex accidenti, ac ab eventu, puta, à turpi, eòq; proprio facto impositum. *Hippol. de Marsil. ad l. 1. pr. n. 39. ff. b. Petr. Gerard. de Petrasancta, sing. 75. n. 7. Fulv. Pacian. de probat. lib. 2. c. 15. n. 17.* ubi, inter turpia nomina hæc recenset, Forabosco, Spezzacroce, Pizzaguerra, Falameschia, Mazzafette, & similia, ut, Rampinus, Squarta.

XLIX.

Modus Quæstionis definitus non est LL. præterquam quòd *Ulp. in l. 7. ff. b.* respondet, Quæstionis modum magis esse, Judices arbitrari oportere: itaq; quæstionē haberi oportere, ut servus salvus sit, vel innocentia, vel supplicio; & *Arcadius, in l. 10. §. 3. ff. b.* Tormenta adhibenda esse, non quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant; ac *Paulus in l. 21. ff. b.* quæstionem non pænæ, sed eruendæ veritatis causa adhibendam esse. Igitur, an quæstio sæpius rariùs, leniùs, acerbùs adhibenda sit, id ex personarum ætate, sexu, habitu corporis, ejusq; imbecillitate, alijsvè rationibus erit expendendum. *C. C. art. 58. Föller in pract. Crim. a parte tertia part. n. 16. Chilian, König. in pract. & process. rubric. von scharffen fragen n. 17. & 18.*

L.

Tormentorum varia genera, superiora sæcula excogitaverunt. *Gvido Pancirolo, in Thesaur. variar. lect. lib. 1. c. 41. ex Josepho. 15.* recenset, Rotas, Radios, Ungulas, Rotabula, Catapultas, Lebetes, Catastas, Frixoria, Digitalia, Pugillaria, Manus fereas, Subulas, Suctensoria, Ollas æneas, Sartagines. *Tholosan. lib. 48. Syntagm. c. 12. n. 3.*

malæ mansionis, numellarum, taxillorum, ponderum &c. facit mentionem. *Sveton. in Tiberio, c. 62.* scribit; Excogitasse Tiberium, inter genera cruciatus etiam, ut largi meri potione, per fallaciam, oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul, urinæq; tormento distenderet. Meminerunt etiam Jura nostra, Usitati istius tormenti Fidicularum, *l. 16. C. b. l. 4. C. ad L. Jul. Majest. ibiq; Gothofred. Eculei, l. 1. C. de numerar. auctuar. Sc. l. 7. C. de malef. & mathem. Ungularum latera sulcantium, d. l. 7. ictuum p umbataram l. 40. C. de decurionib; & similibus. Olim enim, ubi tormentis opus erat, non ut hodiè, quæstionis gratia, rei revinctis manibus, fune subducti quassabantur; imò jure id prohiberi videtur, cum *Imp. in N. 134. c. ult.* interdicit dissolutionem, & enevationem membrorum, seu articulorum, sed igne adusti, verberibusq; cæsi, aut stimulis puncti, crimina fateri cogebantur: *Cic. in Verrem. 6. act. lib. 5.* fustibus etiam cædebantur, boijs distendebantur, eculeo cruciabaatur, fidiculis subiciebantur, *Panciroi. d. l.**

L E.

Aput nos hodiè, hæc potissimum genera frequentantur: Primò, solent crudelitatis illi administri, subtilioribus ac duriter contortis funiculis manus juncturas reis arctissimè constringere, aut instrumentis, per intervalla excavatis, crura ipsorum contundere, ac strigillare. Dein solent reos scalæ subjicere, & violenta quadam expansione seu extensione, articulos omnium membrorum distringere, ac dilacerare. Quod si crimen nefandum fuerit, & multum urgentia indicia subsint, solent candelis, cutem reorum, in certis partibus corporis, lentè adustulare, aut extremas digitorum partes, immisis infra unguis pincis cuneolis, ijsq; postmodum accensis, adustione lædere. Quandoq; etiam, manibus, pedibusq; ad tergam simul ligatis, dorso rei in altum suspensi, aliquod pondus, pro ratione personæ, imponitur; & tum laqueum, ex quo pender sublimis, solet carnifex per intervalla baculo quaterere, atq; exinde tremendum reddere. *Brun. de Judic. & tort. p. 2. q. 2. n. 6. & 7. Damhoud. in praxi Crim. c. 37. n. 19. & seqq. Zang. c. 4. n. 10.*

L I I.

Delectus autem tormentorum habendus est. Nam non quodvis horribile & inusitatum tormenti genus decernere debet Judex quæstionis. *arg. l. un. C. de Emend. serv. l. 2. C. de Exact. tribut.* sed quod

quod usitatum est, & minus periculi habet; siquidem toturæ quali-
tas & quantitas statuenda est, secundum morem regionum; adhi-
bitis nullis novis generibus, quæ magis ad carnifices immanes, ad
Phalaridem vel Peryllum quendam, quàm ad Christianos Judices
pertinent, *Tholos. lib. 48. synt. c. 12. n. 25. Föllner. in pract. Crim. 3.*
part. tertia part. n. 68. Clar. §. fin. q. 64. vers. Item debet Judex, & seq.

LIII.

Inveniuntur verò homines, qui duritiâ tormentorum, ita tor-
menta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullò modò possit *l. 1. §.*
23. b. & hi duùm sunt generum. Quidam enim sive naturæ robore
quòdam bestiariorum, sive exercitatione occallatâ, acerrima etiam tor-
menta rident d. l. 1. §. 23. l. 18. §. 1. ff. h. de quibus eleganter Paris
de Puteo de Syndic. §. Tortura gravior, ut notat Boc. c. 5. n. 42. Qui-
dam verò artibus Magicis, ita torturæ dolorem eludere sciunt, ut
in tormentis durissimis dormire deprehendantur, ut de Mumulo
Præfecto Regis Chilperici refert, Greg. Turo. lib. 1. hist. Franc. c. 35.
quem allegat. Tholosan. lib. 34. Syntagm. c. 2. n. 5. de alijs alij. Inveni-
tunt nonnulli etiam Diaboli Vasalli-Ligij, qui dum ad torturam li-
gati sunt, versus quosdam murmurarunt, de quibus Wier. de præstig.
Dæm. lib. 5. c. 12. post. princip. Godelman. de Mag. & venef. lib. 3. c. 10.
n. 39. Nonnulli maleficijs taciturnitatis ac amuletis silentiarijs, se
præmuniunt, Jacob. Sprenger in malleo malef. p. 3. q. 14. n. 15. Tholos.
lib. 13. de Republ. c. 30. alijsq; illicitis remedijs utuntur, ne imprella
tormenta sentiant. Quæ omnia cui cognoscere otium & lubido,
adeat Hipp. de Marsl. in prax. Crim. §. nunc videndum n. 25. Parid.
de Puteo in tract. de Syndic. Damboud. in praxi rer. criminal. c. 37. n.
21. & 22. Wier. d. c. 12. per tot. Chilian. König. in pract. & process. rubr.
von den scharffen fragen / n. 41.

LIV.

Ad has taciturnitatis sortes removendas, Inquisitores varijs
modis utuntur: *Bocer c. 5. n. 43.* putat, Judicem absq; superstitione
huic mederi malo posse, si in sortilegia sive schedas Magicas per-
lictores inquirat easq; inventas abjiciatur ita superstitionem omnẽ
ex reorum mente cispellat; Caveat quoq; studiosè Judex, ne quis-
quam ex propinquis reo cibũ adferat; interrumpat etiam magicam
verborum quorundam recitationem, *Berlich. part 4. concl. practicab.*
conclus. 4. n. 174. & seqq. Cæteri modi, ut injiciatur in os frigida
C 3 aqua.

âqua, Nicol. Remig. tract. de Demonolatr. lib. 3. c. 9. vers. non desunt,
Berlich. d. l. ut aliorum quorundam verborum recitatione abigatur
incantatio, Hippol. de Marsl. in prax Crim. S. nunc videndum, n. ult.
& similes, cum pietatem & bonos mores la dant, cautè sunt vitandi,
arg. l. 15. ff. de condit. instit.

L V.

Inquisitione habitâ, si circumstantiæ confictæ & falsæ depre-
hendantur, cum acrimoniâ aliquâ reus à Judice objurgandus, ac
proin^q quæstionibus acerbioribus percellendus, erit, ut citra omnem
fucum, veritatem liquidò edisserat, C. C. art. 55. Imò, si revocet, quæ
priùs fassus erat, contra quem indicia probata militant, quæstio re-
peti potest; nisi graves revocationis causas aut in confessionem er-
rore magno, aut intolerantiâ eculei, se inductum, ostenderit, art. 57.

L V I.

Hæc repetitio, an super iisdem indicatijs fieri possit? intricata
est quæstio Communis est negativa. Guido de Suzaria tract. de Indic.
& tort. n. 57. & ibi, Ludov. Bologn. in addit. n. 58. ubi testatur de
communi theorica, ac svadet ut à sententia contraria caveant Ju-
dices, sicut ab igni. Conrad. ab Anten, in sua γοῦακὸλ 8σι, p. 2. c. 7.
circ. fin. Menoch. lib. 2. de A. J. Q. cent. 3. cas. 272. n. 6. distinguit,
inter reum, qui sufficienter, & qui leviter fuit tortus, ut hic retor-
queri possit, ille non item. Cason. tract. de torm. c. 14. n. 3. distinguit,
inter reum, contra quem indicia non multum urgentia extant, &
eū, qui urgentioribus ac evidentioribus opprimitur indicatijs, huncq;
repeti in quæstionem, illum jure non repeti posse, asseverat. Sed tu-
tius est, sine distinctione hoc affirmare Judicisq; arbitrio deferre:
per l. 16. ff. h. art. 58. Boc. c. 5. n. 30.

L V I I.

Quoties autem quæstio iterari debeat, quia jure decisum non
est, iudicis arbitrio relinquitur. arg. l. 1. ff. de Jur. delib. Ne tamen
in infinitum procedatur, volunt Dd. non ultra tres vices, ream sub
tormenta revocandum. Cason. de torment. c. 14. n. 4. 5. 6. ubi scribit,
reum tortum ultra ternarium numerum, immoderatè tortum vide-
ri, & fassum vi & cruciatu tormentorum.

L V I I I.

Huc pertinent partes Actuarij, quæ non sunt ultimæ, neq; con-
ternendæ, in capitali iudicio, Is summâ diligentîâ, eò ordine, quò
singula

singula sunt, distinctim & sigillatim consignabit, *CC. art. 47. §. ult. art. 53. in fin. art. 181. 182. 187.* notisq; mandabit tormenti genus, quantusq; illius fuerit impetus, quoties inflictus, quâ fronte, constantiâ, duritiâve, tortus illum sustinuerit, *Tholos. in syntagm. c. 12. n. 25. Clar. S. fin. q. 64. §. Judex autem debet. in fin.* Neq; illa, quæ medijs profundent rei cruciatibus perscribet, sed ea demùm, quæ recens quæstionibus exempti confitebuntur: *art. 58.* utpote quæ momentum ad veritatis investigationem sunt allatura. *Remus ibid.*

LIX.

Effectus Quæstionis spectatur, in rei criminis convicti confessionemq; ratificantis condemnatione; Eiusdem comperâ, purgatiâve innocentâ, absolutione; & Judicis indebitè ac illegitimè torturam decernentis panâ.

LX.

Confessio criminis à reo in tormentis facta, rata haberi non debet, ut metu extorta, nisi reus extra locum torturæ, ad bancum Juris, ut loquuntur, quamprimùm à quæstionum doloribus quieverit, viresq; refecerit, alterò post tertiove die, eam ratificet, *l. 2. ibi, atq; ita postmodum apud acta, C. de Custod. reor. art. 56. Cason. tract. de torment. c. 21. n. 2. & 3. Clar. S. fin. q. 46. vers. ceterùm si reus, Wessemb. in par. ff. b. in fin.*

LXI.

Si jam omnia, de quibus egimus, accuratè observata sint, si primum constet de crimine, si ex verisimilibus indicijs tortus sit reus, si ejus sit conditionis, ut torqueri possit, si legitimè sit habita quæstio, si verosimilia sit confessus reus, quæ ita postmodum sunt reperia, si idem perseveraverit in confessione, *Zang. c. ult. n. 19. & seqq.* Judex in eum severam sententiam depromere potest, *l. 16. C. de pen. l. 2. C. quorum appell. non recip. art. 60. 90.* quæ tamen maleficio condigna sit. *l. 11. pr. ff. de pen. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufrag.* inq; scripturam redgatur, ac ex scripto recitetur, *art. 92. 93. 94.* atq; fractò manibus Judicis baculò, executioni mandetur, quam sub panâ violatæ publicæ pacis, nemo impiediet, si fortean justitiæ administer minùs feliciter suo munere defungatur. *art. 97.*

LXII.

Condemnato Reo, duo adhuc juris remedia affulgent: Unum Appellationis, alterum Nullitatis. A sententiâ severâ Judicis latâ ex confessione rei, potest ipse reus appellare, vel etiam tertius, quamvis reus appellationem nolit admittere, perire festinans. *l. 6. ff. de appel-*

de appellat. l. 2. vers. sicut enim C. quorum appellat. non recip. quod etiamnum in Germaniâ in viridi est observantia, Zang c. ult. n. 85. Nam licet imperij lege, appellandi potestas denegetur in causis criminalibus, Ordin. Camer. p. 2. tit. 28. §. Item nach dem Mynsing. cent. 4 Obs. 41. rectius tamen illa lex accipitur, de prohibitione appellationum, quæ ad Cameram, non alia subalterna Judicia, referuntur. Vult. 2. §. R. c. 33. n. 25. Magnif. Dn. Cothman. consil. 14. n. 60. & seqq. Nullitatis remedio, quod etiam in criminalibus recipitur, Ordin. Cam. all. l. uti potest, si eum Judex absq; causæ cognitione, ad tormenta abripuerit, Bocer. c. ult. n. 12. & seqq.


LXIII.


Quod si accusatus in negando perstiterit, (qualem Practici Beatum appellant) per inficiationem pertinacem, indicia contra se militantia, elisa purgatave censentur, proindeq; à carceribus sub iuramento securitatis, seu de non vindicando carcere, (de quo Speckhan. cent. 2. class. 2. q. 15.) relaxandus, ac dimitendus, atq; non modo ab instantia, seu observatione judicij, sed definitivè absolvendus est. l. ult. ff. de calumniat. art. 61. c. ult. de purgat. can. Gomez. 3. resol. 13. n. 28. Fachin. 1. Controv. 33. & 9. contr. 16. Bocer. c. ult. n. 4. Bachov. ad Treutler. vol. 2. diss. 31. §. 5. lit. G.

LXIV.

Judici indebitè, injustè, nullisq; indicijs præambulis, reum torquenti, (quod facile probari potest, nisi contrarium doceatur, Wesemb. in par. ff. h. n. 9. innocentis elogium, seu cautio jurata, de non vindicando carcere, (ein geschworen Bpshed) utrunq; jurisjurandi religione exacta sit, munimini minimè est, quin in omnem datam, injuriarum, ignominia & cruciatus causam teneatur. art. 20. 21. 61. in fin. Proindeq; & civiliter injuriarum, l. 15. §. 34. & 41. ff. de Injur. utriq; legis Aquiliae actione, l. 13. pr. ff. ad L. Aquil: & criminaliter, à reo pulsari potest, proq; ratione crudelitatis suæ punitur. d. art. 61. in fin. Nam si dolo insontem torfit, tortusq; inde decepsit, austeritati legum merito subiacet, pænâq; mortis afficitur. l. 16. C. h. ubi Gothofred. Chil. König. in pract. & process. rubric. von den scharffen fragen, n. 38. Clar. §. fin. q. 64. vers. Judex autem: Si per imperitiam verò, latamvé culpam, tormenta inferri curavit, pro modo culpæ, arbitriò Judicis punitur, art. 61. in fin. König. d. rubric. n. 39. Boc. d. c. ult. n. 17. minimèq; juvatur ratione officij, in quod contra ipsius naturam, deliquit. arg. l. 7. §. 3. ff. pro emptor.

22(0)25





the scale towards document

& sigillatim consignabit. *CC. art. 47 §. ult.*
§2. 187. notisq; mandabit tormenti genus,
imperus, quoties inflictus, quâ fronte, con-
tus illum sustinuerit, *Tholos. in syntagm. c. 12.*
§. Judex autem debet. in fin. Neq; illa, quæ
cruciatibus perscribet, sed ea demùm, quæ
empti confitebuntur: *art. 58.* utpote quæ mo-
vestigationem sunt allatura. *Remus ibid.*

LIX.

is spectatur, in rei criminis convicti confes-
ndemnatione; Eiusdem compertâ, purga-
tione; & Judicis indebitè ac illegitimè tor-
â.

LX.

s à reo in tormentis facta, rata haberi non
nisi reus extra locum torturæ, ad bancum
amprimùm à quæstionum doloribus quievere-
terò post tertiove die, eam ratificet, *l. 2. ibi;*
l. 1. C. de Custod. reor. art. 56. Cason. tract.
3. Clar. §. fin. q. 46. vers. ceterùm si reus, We-

LXI.

ibus egimus, accuratè observata sint, si pri-
e, si ex verisimilibus indicijs tortus sit reus,
torqueri possit, si legitimè sit habita quæ-
fessus reus, quæ ita postmodum sunt reper-
t in confessione, *Zang. c. ult. n. 19. & seqq.*
ententiam depromere potest, *l. 16. C. de pen.*
recip. art. 60-90. quæ tamen maleficio con-
en. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufrag. inq;
ex scripto recitetur, *art. 92-93-94.* atq; con-
paculò, executioni mandetur, quam sub pæ-
s, nemo impedit, si fortean justitiæ admi-
munere defungatur. *art. 97.*

LXII.

duo adhuc juris remedia affulgent: Unum
Nullitatis. A sententia severâ Judicis latâ
st ipse reus appellare, vel etiam tertius,
nem nolit admittere, perire festinans. *l. 6. ff.*
de appel-